



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. Utrùm B. Virgo contraxerit peccatum originale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

5. Piam hanc sententiam (quæ tener B. Virginem in primo instanti suæ existentie sanctificatam fuisse propter Christi merita, & in nullo prorsus suæ existentie instanti, præveniente scilicet Spiritus sancti gratia originalis peccati infectionem, peccato subiacuisse) & cultum seu festum juxta illam institutum impugnare quovis excogitabili modo, sub quovis prætextu, sive directè sive indirectè, sive publicè sive privatim, sive scripto sive viva voce, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Romano Pontifici reservatæ, aliisque gravissimis pœnis prohibitum esse.

6. Libros, in quibus aliquid huic sententiæ & cultui seu festo juxta illam instituto, quomodocumque contrarium continetur, post decretum Pauli V. editos, aut in posterum quomodolibet edendos, sub pœnis & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto prohibitos esse.

7. Contrariæ opinionis censuras hæreticos, peccati mortalis & impietatis prohibitas esse, & non alias: unde v. gr. potest dici minus communis, minus probabilis, minus pia, communissimo fidelium sensu contraria, propensissimo summorum Pontificum favori repugnans, &c.

ARTICULUS VII.

Utrum B. Virgo contraxerit peccatum originale.

RESPONSIO.

BEata Virgo non contraxit peccatum originale, sed ab eo per prævenientem Spiritus sancti gratiam, propter Christi merita præservata fuit, & sanctificata in primo instanti existentie suæ.

Prob. 1. Ex Scriptura, argumento partim negativo, partim positivo. Scriptura non negat B. Virginem fuisse præservatam à peccato originali, & aliunde præbet grave fundamentum asserendi præservatam fuisse. Ergo piæ & laudabile est id asserere.

Prob. 1. pars ant. Nam si Scriptura negat B. Virginem à peccato originali fuisse præservatam, vel id negat in locutione aliqua particulari de ipsa B. Virgine, vel in locutionibus generalibus de peccato originali. Neutrum dici potest. Non primum: nullam enim hujusmodi locutionem in tota Scriptura reperire est. Non etiam secundum: nam tam generales sunt locutiones de peccato actuali, ut ista: *Non est homo, qui non peccet*, 2. Paralip. c. 6. Et ista: *In multis offendimus omnes*, Jac. c. 3; à quibus tamen sine periculo in fide excipi potest, & re ipsa à fidelibus omnibus excipitur B. Virgo. Ergo pariter ab aliis absque periculo in fide excipi potest, & à nobis prudenter excipitur: cum rationes illam excipiendi à locutionibus generalibus de peccato actuali, valeant etiam ad illam excipiendam à locutionibus generalibus de peccato originali. Quod validè confirmari potest ex Concilio Trid. sess. 5, in decreto de peccato originali, ubi in fine declarat se in illo suo decreto nolle B. Virginem comprehendere. Quod certè non faceret, si vidisset non esse in locutionibus generalibus de peccato originali exceptioni locum pro B. Virgine; imò si non vidisset grave fundamentum esse, B. Virginem ab illis excipiendi. Adde illam ipsam Synodi œcumenicæ declarationem esse momentum grave excipiendi B. Virginem à generalibus de peccato originali locutionibus Scripturæ, & nullam prorsus aliunde necessitatem existere, eam in illis cum cæteris Adami posteris comprehendendi, ut patebit ex objectionum solutione.

Prob. 2. pars ant. Nam 1. Genes. c. 3. dicitur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem . . . ipsa conteret caput tuum.* Ubi nomine mulieris communiter intelligitur B. Virgo, inter quam & dæmonem, perpetuum fore dissidium prædicitur. Nomine autem Capitis intelligitur saltem dæmonis potestas, cui prædicitur B. Virginem nunquam fore subiectam. At si B. Virgo non fuit à peccato originali præservata, fuit aliquando sub potestate dæmonis. Ergo, &c.

Simonnet Theol. Tom. 1.

2. In Canticis Cant. c. 2. legitur: *Sicut liliun inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et c. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Quæ verba, quamvis intelligi possint de Ecclesia, præsertim qualis erit in cœlo, possunt tamen etiam intelligi de B. Virgine, tum quia eadem Scriptura potest habere multiplicem sensum litteralem, tum quia Ecclesia ipsa in festis B. Virginis jubet lectiones de Canticis Cant. recitari in Missæ sacrificio, vel in Martinis; tum denique quia multi ex Patribus verba illa de B. Virgine exposuerunt. Atqui verba illa satis significare videntur B. Virginem ab omni prorsus peccati labe immunem fuisse. Ergo, &c.

3. Luc. c. 3. Angelus B. Virginem salutat his verbis: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quibus, juxta communem fidelium interpretationem, significatur B. Virgini concessa esse omnia privilegia & gratiæ dona, quibus exornari Matrem Dei secundum rectam rationem decebat. At quis neget Matrem Dei decuisse, à macula peccati originalis præservari, præsertim cum ex meritis Christi redemptoris præservari potuerit, ut demonstrabitur. Præterea, ut docet S. Thomas 3. p. q. 2. 7. a. 1. in O. ex verbis illis habemus, quod illa, quæ genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. Sed aliqui, nempe Hieremias & Joannes Baptista, ut eodem loco probat S. Doctor, sanctificati fuerunt in utero materno post animationem. Ergo propter verba laudata rationabiliter credimus B. Virginem in ipso puncto animationis sanctificatam fuisse, proindeque præservatam à macula peccati originalis.

Prob. 2. ex S. Augustino lib. de nat. & grat. c. 36. ubi sic loquitur: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem: unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullam habuisse peccatum.* Quæ verba omnia verè aurea sunt, omniaque diligenter ponderanda. Itaque dicit, 1. se nullam prorsus habere velle questionem de B. Virgine, cum de peccatis agitur. Quo modo tam generaliter loquendi satis significat, se non solum de personalibus, sed etiam de originali loqui.

Dicit 2. B. Virgini collatam esse gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum. At quomodo peccatum vicit ex omni parte, si aliquando originali peccato infecta fuit?

Dicit 3. B. Virgini collatam fuisse gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum, quia fuit mater illius, qui nullum prorsus habuit peccatum. At hæc ratio manifestè tam valet pro peccato originali, quam pro personalibus: cum Christus non solum personalibus, sed etiam originali caruerit. Et verò si conceditur B. Virgini ab omni peccato personali immunitas, quia concepit & genuit illum qui nullum habuit peccatum personale, quare non ei pari modo concedatur immunitas à peccato originali, quia concepit & genuit illum qui nequidem habuit peccatum originale?

Dicit denique 4. se propter honorem Domini nullam prorsus velle habere questionem de B. Virgine, cum de peccatis agitur. At honor Domini videtur postulasse, ut Mater ejus tam caruerit peccato originali, quam peccatis personalibus, quorum multa venialia tantum sunt. Certè si honor Domini postulavit, ut Mater ejus ne semel quidem in tota vita venialis culpe reatum incurreret, quod facillè concedunt Catholici omnes: quanto magis postulavit, ut ne uno quidem instanti originalis peccati, quod mortale est, reatum habuerit? Si honor Domini postulavit, ut Mater ejus ne leviter quidem unquam Deo displicerit, & pœnæ temporariæ propter levem aliquam culpam obnoxia fuerit: quanto magis postulavit, ut nunquam per gratiæ sanctificantis privationem deformata, Deo odibilis fuerit, serva peccati ac diaboli, & rea damnationis æternæ propter originalem culpam?

Confirm. Ex principiis ejusdem S. Doctoris, qui sic loquitur lib. 5. contra Julianum c. 15. *Profecto peccatum etiam major fecisset (Christus,) si parvus habuisset: nam propterea nullus est hominum prater ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris etatis accessu, quia nullus est hominum prater ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis etatis exortu.* Unde sic argumentor. Si B. Virgo habuit peccatum originale, habuit etiam personalia. Fallum cons. Ergo, &c. Min. libentissimè admittunt fideles omnes, & magno consensu docent Patres, Seq. maj. sequitur manifestè ex verbis S. Doctoris, qui asseveranter dicit ipsum Christum peccata personalia habiturum fuisse, si habuisset originale; & idcirco illum unum ex omnibus hominibus, qui ad aetatem adultam perveniunt, caruisse peccatis personalibus, quia ille unus ex omnibus hominibus caruit peccato originali. Porro cum tam generaliter dicit, *Nam propterea nullus est, &c.* tacitè excipit B. Virginem, ut manifestum est ex superiori textu, ubi cum ait se nullam habere velle quætionem de B. Virgine, quando de peccatis agit, intelligit saltem actualia peccata.

S. Augustino adjungi possunt Patres alii magno numero. Origenes scilicet homil. 1. de variis, ubi non semel B. Virginem immaculatam nominat. Ambrosius serm. 22. in Psal. 118. ubi ait quod B. Virgo sit *virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* S. Hieronymus in interpretatione Psalmi 77. explanans illud, *Deduxit eos in nube diei,* ait nubem illam esse B. Virginem, & addit, *Pulchrè dixit, diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Sophronius in epistola ad Sergium Constant. scribit B. Virginem sanctam fuisse, & ab omni contagione liberatam & corporis & animæ. Damascenus orat. 1. de natali B. Virginis, ait quod in ea *natura gratie factum antevertere visa non est.* Anselmus lib. de conceptu virginali, sic habet c. 18. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, qui Deus Pater unicum Filium sum . . . ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris & Virginis filius.* Plures vidè apud Authores, Nam ex citatis satis colligitur, quàm exactè nostra de immaculata Virginis conceptione sententia congruat communi sensui Patrum, præsertim cum nulla prior sit ratio alicujus momenti, quæ urgeat ad illos intelligendos de solis actualibus & personalibus peccatis; imò cum videantur non posse non intelligi etiam de peccato originali.

Certè si B. Virgo concepta fuit cum peccato originali, non fuit immaculata. Quod est contra Origenem. Item non fuit ab omni integra labe peccati, quod est contra Ambrosium. Item aliquando fuit in tenebris, quod est contra Hieronymum. Item fuit contaminata secundum corpus & animam, quod est contra Sophronium. Item in ea, natura, & quidem per peccatum corrupta, gratiam antevertit, quod est contra Damascenum. Item Virgo illa non enituit ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi: talis enim puritas in sua idea manifestè includit immunitatem ab omni omnino labe peccati, præsertim mortalis, quale est peccatum originale. Quod est contra Anselmum.

Prob. 3. Ex doctrina S. Thomæ 3. p. q. 27. ubi 1. a. 1. in Sed contra, argumentatur sic pro sanctificatione B. Virginis in utero materno: *Ecclesia celebrat natiuitatem B. Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto. Ergo beata Virgo in ipsa sua natiuitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata.* At simili modo argumentari possum pro sanctificatione B. Virginis in instanti infusionis animæ in corpus, seu, ut loquitur S. Doctor, in instanti animationis, Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua conceptione fuit sancta, Ergo fuit sanctificata in instanti animationis. Valet, secundum adversarios, & secundum rei veritatem, argumentum Doctoris Angelici, Ergo & valet nostrum. Alioquin detur disparitas,

2. A. 2. ubi probat B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem, hanc sibi objectionem proponit tertio loco: *Non celebratur festum, nisi de aliquo Sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis beate Virginis. Ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, &c.* Ad hoc autem sic respondeat: *Dicendum quod licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta. Sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum Sanctificationis ejus potius quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius.* At hac responsio non subsistit ampliùs. Nam 1. Ecclesia Romana à trecentis ferè annis celebrat festum Conceptionis B. Virginis. 2. Non aliqua alia tantum particularis Ecclesiæ hoc festum celebrant, sed omnes omnino celebrant cum Romana Ecclesia, omnium aliarum matre & magistra. 3. Ecclesia Romana festum hoc non tolerat solum, sed approbat, sed ad illud celebrandum fideles indulgentius invitat, imò & sub mortali obligat per suos Pontifices. 4. Indulgentias fidelibus festum hoc devotè celebrantibus à Sixto IV. concessas approbavit & confirmavit universalis Ecclesia in œcumenica Synodo Tridentina. 5. Ecclesia Romana celebrando Conceptionem B. Virginis, celebrat sanctificationem B. Virginis in instanti animationis; quia, ut patet ex decreto Alexandri VII. celebrat sanctificationem animæ B. Virginis in instanti reali creationis & infusionis ejus in corpus. Valet igitur hoc argumentum in principiis S. Thomæ: Ecclesia non celebrat festum, nisi de aliquo Sancto. Atqui Ecclesia celebrat festum Conceptionis B. Virginis, seu conjunctionis animæ B. Virginis cum ejus corpore. Ergo B. Virgo fuit sancta in ipsa sua conceptione, seu in ipsa conjunctione animæ cum corpore. Ergo B. Virgo fuit sancta in primo instanti suæ existentie. Ergo nunquam habuit peccatum originale. Cui argumento proculdubio libens cederet humilis equè ac Angelicus Doctor, si nunc viveret: cum jam neque respondere posset festum Conceptionis B. Virginis ab Ecclesia Romana non celebrari, sed solum tolerari in aliquibus particularibus Ecclesiis; neque respondere posset, in die Conceptionis B. Virginis celebrari potius festum Sanctificationis ejus, quàm ejus Conceptionis, seu præcisè celebrari festum sanctificationis ejus in utero materno, quia ignoratur quo tempore in utero materno sanctificata fuerit: cum huic evasioni exitum in aeternum occluserit Alexandri VII. decretum.

3. Art. 4. in O. ut probet B. Virginem nullius unquam in tota vita actualis peccati etiam venialis reatum incurrisse, sic argumentatur: *Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita preparat & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniuntur idonei. . . Beata autem Virgo fuit electa divinius, ut esset Mater Dei; & ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddidit. . . Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. 17. Gloria filiorum, patres eorum: unde & per oppositum ignominia matris ad filium redundasset. Tum quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. ad Cor. 6. Quæ conventio Christi ad Belial? Tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

Ex his autem sic argumentor pro immaculata B. Virginis conceptione. Juxta S. Doctorem, fatendum est B. Virginem ne vel unam in tota vita culpam etiam levissimam admisisset, quia alioquin non fuisset idonea

nea Mater Dei; quia ignominia matris ad filium redundasset; quia specialissimam affinitatem habuit cum Christo, qui ab ea carnem accepit; quia singulari modo, nempe corporaliter, Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit; quia denique in ea non impleteretur illud Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Ergo tam, imò multò magis fatendum est eam ne unò quidem instanti macula peccati originalis, quod mortale est, fuisse contaminatam & deturpatam, quia alioqui non fuisset idonea Mater Dei, quia ignominia matris ad filium redundasset; quia specialissimam habitura erat affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepturus erat; quæ enim *conventio Christi ad Belial*? quia corporaliter in ipsa habitaturus erat Filius Dei, qui est Dei sapientia; quia denique illi non exactè conveniret, quod tamen de illa dictum est Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Nam si hæ rationes omnes valent, juxta S. Doctorem, ad tribuendam B. Virgini immunitatem ab omni omnino culpa levissima, quanto magis valere debent ad tribuendam illi immunitatem ab omni omnino culpa mortali, quale est peccatum originale? Si vel levis culpæ venialis nævus Matrem Dei dedecebat, juxta S. Doctorem, quanto magis Matrem Dei dedecebat cuiusvis mortalis culpæ, sive propria, sive aliena voluntate commissæ turpitudine & foeditas?

4. Denique S. Doctor sic ait a. 1. in O. *Rationaliter creditur quod illa quæ genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ accepit. Unde ut legitur Luc. 1. Angelus ei dixit: Ave Maria, gratia plena. Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegialiter esse concessum, ut in vero sanctificarentur, sicut Hieremias. . . & sicut Joannes Baptista . . . unde rationaliter creditur, quod beata Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur*. Postum igitur à fortiori sic argumentari. Rationaliter creditur, quod illa, quæ genitura erat unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, & quam proinde Deus evecturus erat ad summam maternitatis divinæ dignitatem, qua longè præstatura erat omnibus puris creaturis, etiã angelicis, non minora accepit privilegia gratiæ, quam accepit angelica creatura. Atqui Angeli in ipso puncto creationis suæ sanctificati fuerunt. Ergo rationaliter creditur, quod beata Virgo fuerit sanctificata in ipso puncto animationis, seu in primo instanti existentie suæ. Detur disparitas.

Certe dici non potest, quod anima B. Virginis aut omnino non potuerit sanctificari in ipso puncto animationis, aut saltem non potuerit ex meritis Christi. Hoc enim utrumque evidenter falsum est. Nam 1. Angeli potuerunt sanctificari in ipso puncto suæ creationis: cum enim sanctificatio sit actio instantanea, non successiva, potuerunt simul tempore, licet non simul ratione, creari & sanctificari. Ergo pariter, &c. 2. Fieri potuit, ut Angeli in ipso puncto creationis suæ sanctificarentur ex meritis Christi, absolute prævisis, si nimirum Christus cum meritis suis prædefinitus fuisset ante absolutam prævisionem peccati originalis. Ergo pariter, &c. Hinc obiter colligo evidenter, ad hoc, ut B. Virgo ex meritis Christi absolute prævisis, præservaretur à macula peccati originalis, necesse non fuisse, ut ejus anima sanctificaretur, antequam infunderetur corpori: potuit enim, & quidem ex Christi meritis, sanctificari in ipso puncto infusionis, & ita potuit B. Virgo in primo instanti suæ existentie sancta esse ex meritis Christi; proindeque potuit propter merita Christi nunquam habere originalis peccati maculam.

Prob. 4. Ex conspiratione præcipuarum orbis christiani Academicarum, quæ ex firma persuasione piæ sententiæ, ad eam defendendam sese solemniter voto obstrinxerunt, & in quarum pluribus, Candidatis gradus theologici non conferuntur, nisi prius juramentum præstiterint de immaculata Conceptione animo tenenda, & verbo defendenda: quod in hac nostra Academia sanctissime observatur. Ex consensu omnium

Simonet Theol. Tom. 2.

serè religiosorum Ordinum, excepto Ordine Prædicatorum, in quo tamen non deservunt viri pietate & doctrina insignes, qui piam sententiam defenderent. Ex consensu totius serè populi christiani, qui oppositam sententiam proponi & defendi non audiret sine gravi scandalo. Quis autem facile crederet Deum in Ecclesia sua hæc permisisse fuisse, si pia sententia esset falsa, & consequenter fidei contraria?

Prob. 5. Ex facto summorum Pontificum. Nam 1. Sixtus IV. festum Conceptionis devotè celebrantibus indulgentias concessit; quam concessionem approbavit & innovavit Synodus Tridentina. 2. Paulus V. sub pœnis gravissimis prohibuit quibuscumque personis, ne in quibuscumque actibus publicis assererent B. Virginem conceptam fuisse cum peccato originali. 3. Gregorius XV. sub iisdem gravissimis pœnis, Pauli V. prohibitionem extendit etiam ad privata colloquia; solis Dominicis, ut privatim & inter se tantum de contraria piæ sententiæ opinionem disserere & conferre possent, facultate concessa. 4. Alexander VII. sub gravissimis pœnis quibuscumque personis, à quibus utrum excipi possint Patres Dominicani, ipsimet viderint, prohibet ne sub quovis prætextu, quovis excogitabili modo, sive publicè, sive privatim, sive scripto, sive voce sententiam asserentem animam B. Virginis in sui creatione, & in corpus infusione sanctificatam fuisse, & cultum seu festum juxta sententiam hanc institutum impugnent.

Sub gravissimis igitur pœnis non solum ab actibus quibuscumque publicis, sed etiam à privatis colloquiis opinio negans immaculatam B. Virginis conceptionem, proscripta est decretis summorum Pontificum; non modò non reclamantibus, sed è contra applaudentibus Episcopis Catholicis; interea dum opposita sententia affirmans, proponitur & defenditur non solum in privatis colloquiis, sed etiam in scholis, & in sacris pulpitis cum singulari totius populi christiani ædificatione. Ergo saltem credibile non est, hanc sententiam falsam, & oppositam veram esse. Nam si sententia affirmans esset falsa, & negans vera, sententia affirmans fidei adverteretur, negans verò consona esset fidei, & de fide quoad se. At fore unquam, ut error veritatis in materia fidei tam insigniter anteponeatur decretis summorum Pontificum, tacentibus omnibus Ecclesiæ Catholicæ Episcopis, saltem credibile non est.

Prob. 6. denique. Ecclesiæ cultum B. Virginis, ut conceptæ sine macula peccati originalis, & sanctificatæ primo illo instanti, quo anima ejus creata, & in corpus infusa est, ut piæ, devotum & laudabilem prædicat & commendat, ad illum fideles hortatur, & indulgentiis invitat; imò sub mortali imperat pro certo die, pro quo ad hunc finem speciale festum instituit. Ergo cultus ille non est cultus objecti falsi. Prob. consèq. Nam si cultus ille esset cultus objecti falsi, esset cultus superstitiosus. Atqui cultus ille non potest esse cultus superstitiosus. Ergo, &c. Prob. min. Si cultus ille superstitiosus esset, Ecclesiæ fideles ad cultum superstitiosum hortaretur, & indulgentiis invitaret; ad cultum superstitiosum speciale festum & officium instituisset; imò cultum superstitiosum fidelibus sub mortali imperaret. Atqui hoc esse non potest. Non enim magis potest Ecclesiæ errare in materia morum, quam in materia fidei. Propter hanc saltem rationem videtur piæ sententiæ esse definitioni proxima, & tantam habere certitudinem, quanta infra certitudinem fidei haberi potest.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Scriptura docet solum Christum caruisse omni peccato. Nam v. g. dicitur Hebr. cap. 7. *Talis decebat, ut nobis esset pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Ergo, &c. R. N. ant. Ad prob. R. hanc Scripturam, & alias similes dicere quidem, quòd Christus caruerit omni peccato; at non dicere, quòd solus caruerit. Præterea, sicut Deus dicitur solus bonus, non quia præter Deum nemo bonus est, sed quia solus talis est per essentiam, ceteri verò,

ff 3 sive

sive homines, sive angeli, boni non sunt, nisi per participationem: ita Christus sine sententiæ nostræ præiudicio dici posset solus caruisse peccato originali, quatenus solus, vi generationis suæ, caruit; quia solus, non per viam ordinariam, sed Spiritus sancti virtute conceptus est, & ita solus in Adamo non peccavit, nec proinde debitum habuit maculam originalem contrahendi. B. autem Virgo non fuit à macula originalis peccati immunis vi generationis suæ, quæ fuit naturalis; unde peccavit in Adamo, sicut & cæteri omnes, qui naturaliter generantur, habuitque debitum contrahendi maculam originalem, à qua proinde non fuit præservata, nisi ex gratiæ privilegio.

Obj. 2. Dicitur Rom. c. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Et 1. Cor. c. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Atqui sententiæ nostræ repugnat his textibus. *R. neg.* Ad 1. autem dico, nos non negare, sed asserere, quod B. Virgo peccaverit in Adamo, & idcirco debitum habuerit contrahendi peccatum originale: sed addimus, ab illo præservatam fuisse speciali Dei beneficio propter merita Christi, & sanctificatam in instanti infusionis animæ in corpus.

Ad 2. Dico similiter, nos non negare, sed asserere, quod B. Virgo mortua sit in Adamo, hoc est, quod reatum mortis incurrerit, & re ipsa mortem objerit propter peccatum ab Adamo commissum, quod secundum moralem estimationem fuit etiam ipsius B. Virginis peccatum. Unde sequitur tantum, quod in instanti animationis habuerit reatum alicujus pœnæ, originali peccato debitæ. At negamus idcirco habuisse ipsummet peccatum originale; conceptus, quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse: siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immisit, ut simul & sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? ... Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat, restat ut post conceptionem in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecerit natiuitatem, non tamen & conceptionem.

Obj. 3. S. Ambrosium, & Eusebium Emisenum, vel potius Gallicanum, quorum primus sic ait lib. 2. comment. in Lucam: *Solus ex omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus est, qui terrena contagia corruptele immaculati partus novitate non senserit, & caelesti maiestate depulerit.* Alter verò hom. 2. de naturali Domini: *A peccati veteris nexu per se non est immunis nec ipsa genitrix Redemptoris.* *R.* hos Patres, ut patet ex textuum consideratione, non aliud velle, quam solum Christum vi generationis suæ, quæ naturalis non fuit, immunem fuisse à macula peccati originalis, cæteros verò omnes, quia naturaliter generantur, & ab Adamo naturaliter descendunt, vel re ipsa maculam illam contrahere, vel si qui non contrahunt, ab illa non esse immunem vi generationis, sed ab illa præservari per merum divinæ gratiæ beneficium.

Obj. 4. S. Augustinum, Sic autem loquitur, 1. lib. de perfect. iust. sub fin. *Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divine Scripturae.* 2. lib. 5. contra Julianum c. 15. *Si sine dabo caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati; quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati?* *R.* nos non negare, sed è contra asserere remissionem peccati necessariam fuisse B. Virgini, quia peccaverat in Adamo, sicut & cæteri omnes, qui naturaliter generantur: unde hujus peccati macula, sicut & cæteri qui generantur naturaliter, fuisset infecta à primo instanti animationis, nisi misericordia divina eam prævisisset, & primo illo instanti peccatum ei liberaliter condonasset intuitu meritum Christi redemptoris.

R. ad 2. etiam carnem B. Virginis fuisse carnem peccati, non quia aliquando polluta fuit macula peccati originalis, sed quia cum patrum libidine fuit concepta, & ita macula peccati originalis fuisset pol-

luta, secluso gratiæ præservantis beneficio, illamque maculam in prolem traduxisset, si B. Virgo via naturali generasset.

Obj. 5. S. Fulgentium, ita loquentem in lib. de fide ad Petrum c. 26. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitus viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci.* Resp. hunc textum necessariò intelligendum esse cum exceptione B. Virginis, imò & cum exceptione aliorum aliorum, ut Hieremias & Joannis Baptista: nam B. Virgo, Hieremias & Joannes Baptista sanctificati fuerunt in utero matris, quod de fide est, saltem pro B. Virgine & Joanne Baptista. Sensus igitur loci est, quod omnes homines, per naturalem generationem descendentes ab Adamo, vi suæ conceptionis contrahant peccatum originale, & cum illo nascantur, secluso gratiæ divinæ beneficio, quo à peccato illo præserventur. Quod beneficium nemini attribuendum est sine sufficienti fundamento.

Obj. 6. S. Bernardum in Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, quos graviter reprehendit, quod festum Conceptionis B. Virginis in sua Ecclesia instituerint. *Miramur satis, inquit, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesie nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Deinde post medium epistolæ sententiam de B. Virgine sine originali peccato concepta sic impugnat: *Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præventa, quatenus jam sancta conciperetur: ac per hoc sanctus fuerit, & conceptus, quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse: siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immisit, ut simul & sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? ... Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat, restat ut post conceptionem in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecerit natiuitatem, non tamen & conceptionem.*

R. 1. Bernardus non simpliciter reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod festum Conceptionis B. Virginis instituerint, sed quod instituerint, inconsulta prius Ecclesie Romana: *Nam si sic videbatur, inquit, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, & non ita precipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Quid ergo nunc faceret Bernardus, si viveret, cum videret ipsammet Ecclesiam Romanam publicè & solemniter colere Conceptionem B. Virginis, hunc cultum ut pium, devotum & laudabilem commendare, ad illum exhibendum diem festum instituisse, speciale ac proprium officium ordinasse, fideles indulgentiis invitare, imò & sub morali obligare? Certè quid nunc facturus esset, ipsemet apertè declarat in clausula epistolæ suæ, ubi sic loquitur: *Romane præsertim Ecclesie auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa refero; ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.* Nobilium ergo, vel potius cum Ecclesia universa festum Conceptionis B. Virginis devotè celebraret; & quia festum Conceptionis B. Virginis celebrari non potest, si B. Virgo non fuit in sua conceptione sancta; nam, ut ipse ait in ead. epist. *Quo pacto conceptus ut festus habeatur, qui minime sanctus est? Conceptionem B. Virginis ut sanctam nobilium teneret & defenderet.*

2. Bernardus in suo contra immaculatam B. Virginis Conceptionem discursu, nomine conceptionis manifestè intelligit primam organizationem corporis. Unde ejus argumentationis hic sensus est. Si B. Virgo fuit sancta in sua conceptione, vel quia sanctificata fuit ante primum instans organizationis, vel quia

san-

sanctificata fuit in primo instanti organizationis. Non primum: nam B. Virgo non potuit sanctificari, antequam esset; at nondum erat ante primum instans organizationis. Non etiam secundum: nam primum instans organizationis fuit illud idem instans, quo parentes B. Virginis generantur. Non potuit autem B. Virgo sanctificari eo instanti, quo parentes ejus generantur, quia cum libidine generantur. Superest igitur ut B. Virgo post primum illud instans organizationis, cum jam in utero materno existeret, sanctificationem acceperit, quæ sanctam, excluso peccato, fecerit nativitatem ejus.

Ad hoc S. Doctoris argumentum, quod minimè urget, R. B. Virginem non potuisse quidem sanctificari ante primum instans organizationis corporis, quia ipsa nondum erat. Item non potuisse sanctificari in primo instanti organizationis corporis sui, quia tunc necdum erat: unde tunc nec sanctitatem, nec peccatum habere poterat. Sed dico sanctificari potuisse in instanti creationis & infusionis animæ in corpus organizatum, quod instans fuit primum existentia B. Virginis; tunc enim cæpit esse B. Virgo, cum cæpit esse homo; & cæpit esse homo, cum cæpit esse compositum ex corpore & anima; & cæpit esse compositum ex corpore & anima, cum anima corpori organizato infusa est, & cum eo conjuncta; proinde dico B. Virginem sanctificari potuisse in primo instanti existentia suæ, & ita potuisse nunquam habere maculam peccati originalis.

Non itaque valet hoc argumentum: B. Virgo non potuit sanctificari ante primum instans, neque in ipso primo instanti organizationis corporis ejus. Ergo aliquando habuit peccatum originale. Nam ad hoc, ut nunquam haberet peccatum originale, necesse non fuit, ut aut ante primum instans, aut in primo instanti organizationis corporis sui sanctificaretur; sed satis fuit, si sanctificari posset & sanctificaretur in instanti creationis & infusionis animæ in corpus organizatum; quia si tunc fuit sanctificata, sanctificata fuit quando cæpit existere; & si sanctificata fuit quando cæpit existere, nunquam habuit peccatum originale; aut certe habuit antequam inciperet existere. Quod est absurdum.

Neque majoris momenti est argumentum istud: B. Virgo nec ante primum instans, nec in ipso primo instanti organizationis corporis sanctificari potuit. Ergo conceptio B. Virginis polluta fuit macula peccati originalis. Hæc enim conf. non valet, etiam si nomine Conceptionis intelligas primam corporis organizationem. Ratio est, quia sicut nec fuit nec potuit esse sanctitas in primo instanti, aut etiam in toto decursu organizationis ante animationem, ita nec fuit nec potuit esse peccatum originale; quia sicut nec fuit nec potuit esse subjectum sanctitatis, ita nec fuit nec potuit esse subjectum peccati originalis. Nam subjectum peccati originalis est filius vel filia Adami. At nec in primo instanti, nec in toto decursu organizationis corpusculi B. Virginis ante animationem, fuit filia Adami, sed solum fuit materia, ex qua & anima, creanda & infundenda, componenda erat filia Adami; & tunc tantum cæpit esse filia Adami, quando in corpusculum sufficienter organizatum infusa est anima rationalis, & cum eo conjuncta; proinde tunc tantum cæpit esse subjectum capax peccati originalis, sicut & tunc tantum cæpit esse subjectum capax sanctitatis.

Dices. Organizatio corpusculi B. Virginis cæpit per actum generandi parentum ejus, qui actus non fuit absque libidine, seu ardore aliquo concupiscentiæ. Ergo in prima organizatione corpusculi B. Virginis fuit peccatum originale. Nam ut ait S. Doctor, peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? R. neg. conf. propter rationem modò datam, quæ convincens est. Ad verba S. Doctoris R. ibi fuisse peccatum, ubi libido non defuit, si nomine peccati indecentiam intelligas; ardor enim concupiscentiæ non est absque indecentia. Item si nomen peccati sumas

improprie & metonymicè pro effectu peccati; nam ardor concupiscentiæ in generando est effectus peccati originalis. At nego ibi fuisse peccatum proprie sumptum pro macula peccati subjectum suum habitualiter insipientis, & reddentis illud odiosum Deo, & dignum pœna, quia tunc non fuit subjectum, quod sic infici posset, & reddi Deo odiosum, & pœna dignum.

Itaque ex eo quòd non defuit libido in actu quo generantur parentes B. Virginis, non sequitur quòd B. Virgo peccatum originale contraxerit in prima organizatione corpusculi sui, quia tunc nondum erat, & antequam esset, illud contrahere non poterat; sed sequitur tantum, quòd illud erat necessariò contractura, ubi primum inciperet esse, hoc est, in instanti creationis & infusionis animæ in corpusculum organizatum, nisi ab eo per prævenientem Spiritus sancti gratiam præservaretur.

Dices. Saltem, ut concessum est, B. Virgo nec fuit nec potuit esse sancta in primo instanti organizationis. Ergo conceptio ejus non fuit sancta. R. dist. conf. Ergo conceptio ejus inchoata, seu potius inchoatio conceptionis ejus non fuit sancta, C. conseq. tunc enim nondum erat subjectum capax sanctitatis, sicut nec peccati, quia tunc nondum erat homo, sed tantum inchoatio hominis. Conceptio ejus completa & perfecta non fuit sancta, N. conseq. tunc enim fuit completa & perfecta conceptio B. Virginis, cum anima creata & infusa est in corpusculum organizatum; & B. Virgo fuit sancta eo instanti, quo anima creata & infusa est in corpusculum organizatum, quia anima B. Virginis uno & eodem instanti reali in corpusculum organizatum infusa est, & sanctificata. Ergo B. Virgo fuit sancta in ipso instanti conceptionis completæ & perfectæ. Ergo, quòd idem est, conceptio completa & perfecta B. Virginis fuit sancta. Ecclesia autem celebrando festum Conceptionis B. Virginis, non intendit colere conceptionem ejus inchoatam, seu inchoationem conceptionis ejus; vel si vis, non intendit colere instans illud, quo per actum generandi parentum B. Virginis cæpit organizari materia corporis ejus; sed intendit colere conceptionem completam & perfectam B. Virginis, seu instans illud, quo B. Virgo per creationem animæ, & ejus cum materia organizata unionem ac conjunctionem, non prius cæpit existere, quam sancta esse.

Dices. Igitur inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut B. Virgo simul & sanctificata fuerit, & concepta. R. neg. Nam creatio & infusio animæ non fit, nisi post sufficientem organizationem materiæ, & organizatio materiæ, cum fit modo naturali, ut in B. Virgine facta est, non fit in instanti, sed tantum aliquot dierum spatio perficitur; unde anima B. Virginis non fuit creata, & in corpusculum ejus infusa, nisi aliquot diebus post primam materiæ organizationem, & consequenter nisi aliquot diebus post actum, quo parentes B. Virginis generantur. Completa igitur & perfecta conceptio B. Virginis aliquot dierum spatio distans fuit à complexibus maritalibus, proindeque falsum est, quòd necesse fuerit sanctitatem immisceri conceptioni B. Virginis inter amplexus maritales. Unde manifestè impietatis & calumniæ gravissimæ convincuntur heterodoxi, dum dicunt Ecclesiam celebrando festum Conceptionis B. Virginis, celebrare maritales amplexus parentum ejus.

His omnibus addo, S. Doctorem in ead. epist. gravissimum nobis pro pia sententia suggerere argumentum, & satis clarè ostendere, quis nunc foret ejus sensus, si nunc viveret. Ortum, inquit, Virginis dicitur nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse, ut sancta prodiret. Et inferius: Fuit proculdubio & Mater Domini ante sancta, quam nata. Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione universa terre votiva cele-

celebritate suscipiens, S. itaque Bernardus pativiratem B. Virginis ut festivam & sanctam indubitanter & firmissimè habebat, quia illam Ecclesia sanctam reputabat, & omni anno cum exultatione universæ terræ voriva celebritate suscipiebat, nec, cum ipsa sancta sit, illam sanctam reputando, & omni anno votiva celebritate suscipiendo, falli poterat. Atqui nunc pariter Ecclesia sanctam reputat conceptionem ejusdem B. Virginis, completam scilicet & perfectam, quod semper subintelligi oportet, eamque omni anno cum exultatione universæ terræ voriva celebritate suscipit, nec magis in hoc falli potest, quam in altero. Ergo possumus pariter conceptionem ejusdem B. Virginis indubitanter & firmissimè habere, & nobiscum habiturus esse, si nunc viveret, merito supponi potest ipse Bernardus, ut festivam atque sanctam.

Nec dic magnam esse disparitatem inter nativitatem & conceptionem B. Virginis, quia Ecclesia, ut notat Bernardus, firmissimè sentit nativitatem B. Virginis sanctam fuisse, & omnes contrarium sentientes damnat. Nam contra est, quia verum quidem est, quod Ecclesia contrariam immaculatæ Conceptionis B. Virginis opinionem toleret, & eam privatim sequentes hæreseos vel peccati mortalis nota inquiri vetet, donec ipsa sententiam definitivam ferat. At nihilominus firmissimè tenet conceptionem B. Virginis sanctissimam fuisse, & circa sanctitatem ejus habet saltem evidentiam magnam moralem, qualem v.g. requirit ad Sanctorum canonizationem. Nam sine tali saltem evidentiâ festum Conceptionis B. Virginis non institueret, non omni anno festum illud solemniter celebraret, nec ad illud devotè celebrandum fideles indulgentiis invitaret, & multò minus sub mortali adigeret. Supposita autem hujus festi institutione, & annua celebratione, potest fidelis quilibet circa sanctitatem conceptionis B. Virginis habere certitudinem non magnam moralem tantum, sed etiam tantam, quanta esse potest infra fidei certitudinem, propter Ecclesiæ scilicet sanctitatem, cui repugnat cultus falsus & superstitiosus, & ejus circa mores infallibilitatem.

Dices. Si ita esset, Ecclesia praxi sua multum præjudicaret opinioni neganti immaculatam fuisse conceptionem B. Virginis. Quod repugnat clausulæ, quam Paulus V. & Gregorius XV. decretis sui apposuerunt: *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullam prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus de presenti reperitur, præter quam quoad supra disposita*. R. Ecclesiam festum instituendo, & celebrando quotannis, ad colendam B. Virginem ut sanctificatam in puncto conceptionis suæ completæ & perfectæ, seu in instanti creationis animæ, & ejus infusionis in corpusculum organizatum, non potuisse non inferre grave præjudicium opinioni contrarium tenenti. Per clausulam autem citatam non aliud significant Pontifices, quam nolle se præjudicare huic sententiæ, prohibendo ne publicè aut etiam privatim proponatur & defendatur, velleque eam retinere totam probabilitatem, quam, præcisâ illa prohibitione, habere potest in concursu praxis Ecclesiæ quotannis cum exultatione fidelium omnium, paucis admodum exceptis, celebrantibus publicè & solemniter festum B. Virginis, ut præservatâ à macula peccati originalis, & ad illud celebrandum omnes sub mortali obligantis. Qualis autem & quanta esse possit hæc probabilitas, videant hujus sententiæ defensores. Adde, dictam clausulam ab Alexandro VII. præremissam fuisse, & quidem merito. Nam Alexander VII. declarando & definiendo Ecclesiam, celebrandum festum Conceptionis B. Virginis, colere B. Virginem ut præservatam à macula peccati originalis, & sanctificatam in puncto creationis animæ, & ejus conjunctionis cum corpore, præcipuum adversariis immaculatæ Conceptionis B. Virginis effugium eripuit, & eripiendū gravissimum eorum opinionum præjudicium intulit.

Obj. 7. S. Thomam 3. p. q. 27. ar. 2. in O. ubi

probat B. Virginem non fuisse sanctificatam, nisi post animationem, seu infusionem animæ rationalis in materiam organizatam, proindeque maculatam fuisse peccato originali saltem in puncto animationis, seu in primo instanti existentie suæ. Et hoc utitur ratiocinio, *Dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante ejus animationem, duplici ratione. Primo quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio à peccato originali: Sanctitas enim est perfecta munditia... culpa autem non potest emundari, nisi per gratiam, cujus subjectum est sola creatura rationalis: & ideo ante infusionem animæ rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpe, ante infusionem animæ rationalis proles concepta, non est culpa obnoxia. Et sic quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpe: & ita non indignisset redemptione & salute, quæ est per Christum... Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit salvator omnium hominum, &c.*

R. S. Doctoris autoritatem hic non plus habere ponderis, quam ratiocinium quo utitur, & quod tamen, quantum ad ea in quibus nobis contrarium est, facilem habet solutionem. Itaque 1. illud, *sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio à peccato originali*, falsum est: nam sanctificatio, de qua agitur, est infusio gratiæ condonatiæ peccati in primo parente commissi. Quod si is, cui hoc peccatum condonatur per infusionem gratiæ, jam habebat maculam ejus, respectu illius sanctificatio est emundatio à peccato originali: quod si is, cui hoc peccatum condonatur per infusionem gratiæ, nondum habebat ejus maculam, sanctificatio respectu illius est præservatio à peccato originali. Sanctitas autem, quæ est terminus sanctificationis, de qua hic agitur, est quidem munditia, seu immunitas à macula peccati originalis. At verò ad hanc immunitatem sufficit actio præservativa; nec requiritur emundativa, nisi in iis, qui maculam illam contraxerunt, vel, si vis, in iis, qui à contrahenda macula illa præservati non fuerunt.

2. Illud, quod dicitur, *ante infusionem animæ rationalis B. Virginem sanctificatam non fuisse*, verum est. At quod nobis sufficit, sanctificari potuit in ipso puncto infusionis animæ rationalis, & consequenter sanctificari potuit in primo instanti existentie suæ, & ita præservari potuit à macula peccati originalis. Cum enim, ut hic dicitur, *sola creatura rationalis sit susceptiva culpe, ante infusionem animæ rationalis proles concepta, non est culpa obnoxia*, proindeque B. Virgo nec habuit nec habere potuit maculam peccati originalis ante infusionem animæ rationalis. Unde si in ipso puncto infusionis animæ rationalis, hoc est, in ipso instanti, in quo cæpit esse capax maculæ peccati originalis, potuit sanctificari, & re ipsa sanctificata fuit, manifestum est illam nunquam habuisse maculam illam.

3. Ad id quod dicitur, quod si B. Virgo nunquam incurrisset maculam originalis culpe, non indignisset redemptione & salute, quæ est per Christum, R. falsum esse. Ad hoc enim ut B. Virgo indigneret redemptione & salute, quæ est per Christum, satis est, si non potuit non incurrere maculam peccati originalis, nisi ab ea ex meritis Christi redemptionis & salvatoris præservaretur; sive, quod idem est, nisi in primo instanti existentie suæ, ex meritis Christi redemptionis acciperet gratiam condonativam peccati ab ea in Adamo commissi. Sed de hoc adhuc modò.

Dices cum S. Doctore in Resp. ad 4. *Beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris & femine: dicit enim Augustinus omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati*. Resp. Ex eo quod B. Virgo fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam, sequi tantum, quod peccaverit in Adamo, & ita quod habuerit debitum contrahendi peccatum originale, quod proinde non potuit non contrahere

trahere, nisi misericorditer ab eo ex meritis Christi præservaretur. Quo autem sensu caro B. Virginis fuerit caro peccati, jam explicatum est sine præjudicio immaculatae conceptionis ejus.

Obj. 8. Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, non fuit redempta. *Conf. repugnat fidei.* Ergo, &c. Minor patet. Nam de fide est, quod Christus sit omnium hominum salvator & redemptor. *Prob. seq. maj.* Quia si B. Virgo non contraxit peccatum originale, nunquam fuit sub captivitate peccati. Sed qui nunquam fuit sub captivitate peccati, nunquam potuit redimi: redemptio enim supponit captivitatem: *Nullus*, inquit *Zozimus* Papa apud Augustinum epist. 157. *nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.*

R. dist. seq. maj. Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, non fuit redempta à captivitate, in quam incidit, *C. seq. maj.* Non fuit redempta à captivitate, in quam non poterat non incidere, nisi liberatoris ac redemptoris beneficium eam misericorditer prævenerit, *N. seq. maj. & dist. min.* Contra fidem est, quod B. Virgo non fuerit redempta à captivitate, in quam incidit, *N. min.* A captivitate, in quam non poterat non incidere, nisi ei succurreret præveniens gratia liberatoris ac redemptoris, *C. min. & neg. conf.* Duplex igitur distinguendus est modus redemptionis. Primus est, quo quis liberatur à captivitate, in quam lapsus est; secundus verò, quo quis eximitur à captivitate, in quam necessarîo lapsus est, nisi ab ea præservetur. Hic autem redimendi modus tam proprius est, quam alter, imò perfectior est, & magis decebat eam, quæ futura erat Mater ipsius Redemptoris, cui tam possibile fuit hoc modo, quam altero redimere. Quare ergo negabimus B. Virginem hoc modo redemptam fuisse?

Ad verba *Zozimi R.* redemptum dici non posse, nisi qui verè per peccatum antea fuerit captivus, aut re ipsa, aut saltem debito: ita ut debuerit esse, & certissimè futurus fuerit captivus, nisi gratia liberatoris præventus fuisset. Talis autem qui captivus fuit debito, non tamen in re, quia subvenit ei gratia liberatoris, redemptus dici potest propriè, & tam propriè, quam qui liberatur à captivitate, in quam re ipsa incidit. Hanc doctrinam tradit *S. Augustinus* enarr. in *Psal. 85.* ad hæc verba: *Eruiisti animam meam de inferno inferiori. Nescio quis habens*, inquit, *causam molestam, mittendus erat in carcerem; venit alius, descendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruiisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permitti perducere. Rectè igitur, juxta *S. Doctorem*, dicitur quis inde liberari, quò per liberatorem non permittitur perducere; proindeque rectè & propriè dicitur quis liberari à captivitate, in qua non est, sed esset, nisi liberator impediret.*

Obj. 9. Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, nunquam habuit debitum illud contrahendi. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *Prob. min.* Quia si B. Virgo nunquam habuit debitum contrahendi peccatum originale, non indiguit redemptore, quod est absurdum. *R. dist. seq. maj.* Nunquam habuit in se debitum contrahendi peccatum originale, *C. seq. maj.* eum enim sanctificata fuerit in primo instanti existentie sue, in primo instanti existentie sue accepit veniam peccati in Adamo commissi, & consequenter remissionem debiti peccatum originale contrahendi, atque ita debitum illud in se nunquam habuit. Nunquam habuit in alio, nempe in Adamo debitum contrahendi peccatum originale, *N. seq. maj.* Cum enim peccaverit in Adamo, sicut & ceteri qui ab eo naturaliter erant descenduri, habuit in Adamo debitum contrahendi maculam origina-

lem, sicut & ceteri qui ab eo descenduri erant naturaliter: unde tanta necessitate maculam illam contraxisset, quanta ceteri contrahunt, nisi misericorditer ab ea præservata fuisset: hinc tam indiguit redemptore & salvatore, quam ceteri indigent; & sicut ceteri à macula originali quam contraxerunt, emundantur per gratiam redemptoris, quando sanctificantur; ita & ipsa per eandem redemptoris gratiam à macula originali, quam alioqui certissimè contraxisset, præservata fuit, quando sanctificata fuit in ipso puncto creationis animæ, & ejus infusionis in corpusculum.

Dices. B. Virgo præservari non potuit ab originali macula per merita Christi redemptoris. Ergo vel non fuit præservata, vel certè non fuit præservata per merita Christi redemptoris. *Neg. ant. Probabis.* Incarnatio non fuit decreta, nisi post absolutam prævisionem peccati originalis in re contrahendi ab omnibus Adami posteris, qui scilicet ab eo descenduri erant naturaliter. Ergo Deus prius absolutè prævidit B. Virginem, sicut & ceteros, ut originali macula infectam pro aliqua differentia temporis, quam prædefinitur merita Christi redemptoris, & consequenter quam propter merita Christi redemptoris prædefinita, & absolutè futura & prævisa, veller, aut etiam posset velle liberare B. Virginem, eamque sanctificare in tempore. Ergo, &c. *R. neg. ant. & dico Christum redemptorem fuisse decretum, & ejus merita prædefinita statim post absolutam prævisionem peccati ab Adamo, ut humani generis morali capite admittendi, proindeque Christi redemptoris & meritorum ejus absolutam futuritionem supposuisse tantum in præscientia debitum maculam originalem contrahendi in iis omnibus, qui ab Adamo descenduri erant per generationem naturalem. Unde Deus potuit velle propter merita Christi redemptoris prædefinita & absolutè prævisa, non solum B. Virginem, sed etiam alios omnes, qui per generationem naturalem descenduri erant ab Adamo, à macula originali præservare.*

ARTICULUS VIII.

Utrum concupiscentia sit per se & ex natura sua peccatum originale.

Circa constitutum peccati originalis variae sunt heterodoxorum sententiae. Prima est *Illyrici*, docentis peccatum originale esse imaginem substantialem diaboli, in quam transformatur anima propter peccatum Adami. Hoc *Illyrici* delirium sua absurditate refellitur. Vide *Bellarmin.* lib. 5. de statu peccati cap. 2. & 3. Secunda, quam aliqui *Lutherani* aliquando in scriptis suis defendunt, constituit peccatum originale in peccatis actualibus, hoc est, in pravis motibus cordis contra Deum; vel, ut loquitur *Melancthon* in locis communibus, in actuali quadam prava cupiditate. Sed hæc sententia est manifestè falsa. Nam parvuli etiam in utero materno habent peccatum originale, & tamen tunc nullum habent aut etiam habere possunt peccatum actuale; cum tunc careant usu rationis & libertatis: unde *Apostolus Rom.* cap. 9. de *Jacob & Esau* loquens, sic ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c.* Tertia, quæ omnibus *Lutheranis & Calvinistis* communis est, docet peccatum originale esse corruptionem naturæ, hoc est, ignorantiam, difficultatem, propensionem ad malum, & alia similia, quæ nos vulnera naturæ appellamus. Tenent igitur *Lutherani & Calvinistæ* communiter, corruptionem naturæ, ac præsertim concupiscentiam, seu pronitatem ad bona sensibilia contra præscriptum rationis, qualis invenitur etiam in regeneratis & justificatis, per se & ex natura sua esse peccatum originale, sic tamen ut creditibus ad damnationem non imputetur. Sed contra hanc hæresim sit

RESPON-